



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

203 Fructus beneficiorum vacaturorum Episcopo quibus in beneficiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

referuatis. quanquam re vera resignantes ex causa permutationis non æquè peccant hic atque in simili beneficiorum referuatorum resignatione. Mihi certè utrobique valdè durum videtur ita resignantes excidere planè suis beneficiis. Quæstio quarta, de fructibus beneficiorum primò vel per mortem vel per simplicem cessionem seu resignationem seu caducitatem (ducta videlicet in ordinibus minoribus vxore) vacaturorum Episcopo ad tempus applicandis iuxta cap. si propter. s. de rescriptis. & c. si tibi concessio. s. de præbend. & c. penult. de verb. signif. iniustissimè mihi videtur in hunc ab Ancharano relata catalogum. Nec enim dubitandum puto quin permutantes Episcopo præferantur, cùm priuilegium illud Episcopi sic accipiendum sit ne vergat in præiudicium verorum & legitimum possessorum viuentium qui non simplicis cessionis vel resignationis animo sed ex causa permutationis beneficia sua resignant. Sufficit autem sic interpretari priuilegium Episcopo obærato concessum ut fructus beneficiorum vel per mortem vel alioqui simpliciter vacaturorum percipiat ad tempus, non etiã denudet ac spoliet canonicè permutantes. Nam quàmuis beneficium seu liberalitas Principis latã recipiat interpretationem quando de nullius alterius quàm Principis ipsius agitur præiudicio l. beneficium Imperatoris. c. de Constit. Princ. tamen ubi tertij vertitur præiudicium, restrictissimæ semper est interpretationis priuilegium.

h l. 2. §.

203
Fructus beneficiorum vacaturorum Episcopo qui-bus in beneficiis.

204
Beneficia Principis Privilegia qualis sint interpretatio.